

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Caput II. In quo purgatorium Romanensium, Patrum doctrinae repugnare ostenditur, & simul de oratione pro mortuis agitur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

Purgatorium, Patrum doctr. repugn. p. 240. 367
tum habet: *Sed tamen de quibudam levibus cul-*
pis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus
est.

CAPUT II.

In quo purgatorium Romanensium, Pa-
trum doctrinae repugnare ostendi-
tur, & simul de oratione pro
mortuis agitur.

Multa in Patrum scriptis legere est, quae
ad purgatorium Romanensium refel-
lendum clarissime faciunt. Nos pau-
ca tantum e multis, brevitatis gratia,
citabimus. Hoc tamen hic in limine te prae-
monitum volumus, lector, licet nemini unquam
concessuri simus, piae vetustati plus debitae au-
thoritatis ac venerationis ut tribuat, plusve ti-
moris ac honoris deferat, quam ipsi facimus;
(pag. 240.) in Patribus tamen jam citandis aliis-
que etiam haud pauca occurrere loca, in quibus
de statu & loco animarum post mortem, et si
purgatorium Romanensium maxime impro-
bent, non modo tamen alii ab aliis, sed etiam
ipsa se nonnihil dissentire videntur. Neque
mirum; de rebus enim futuri seculi, citra reve-
lationem divinam, quam extra sacras literas de
iis omnibus, quae ad salutem cognitu necessaria
sunt, reperire non est, ecquid certi & explora-
ti habere possunt mortalium etiam doctissimi &
sanctis.

sanctissimi? Sacrae autem literae admodum parce & quidem consulto de rebus istiusmodi loquuntur, utpote ad salutem minus necessariis, ut homines etiam falli, & aliquando pugnancia dicere potuerint.

Dionysius, dictus areopagita, lib. de Eccles. hierrach. cap. 7. pag. 141. loquens de sanctis quibuslibet, & non de solis perfectioribus, ut Bellarminus aliique Romanenses volunt, in morte constitutis: *Norunt*, inquit, *profecto*, *se totos jucundam gratamque* (τὴν χαρτοειδῆ λῆξιν, *ad Christi spectem*) *requiem esse adepturos, cum ad extremum vitae hujus venerunt, viamque ad immortalitatem suam, & viciniorem jam factam, clarius intuentur.* Subdit autem immediate, *sceleribus nefariisque sordibus coopertorum finem metuendum.* Locum hunc Dionysii inter primos producit Bellarminus cum aliis Romanensibus contra Graecos, de Sanctorum beatitudine lib. i. cap. 4. sect. *Secundus sit Dionysius.* Vide Bellarm. qui alia quaedam ex eodem cap. parte 3. ibid. profert verba. Sed quandoquidem in hujus Dionysii mentionem nunc incidimus, hoc post alios notatum volumus, scriptorem hunc vetustum quidem esse & insigniter doctum, *quem tertio vel quarto potius seculo vixisse verisimile est*; minime tamen illum Apostolorum contemporaneum, cujus mentio facta est, Act. 17. 34. quem admodum communiter hodie cum permultis Graecorum existimant Romanenses. Hoc multis argumentis, praeter alios Protestantes, demon-

monstrant R. Cocus in Censura (*) pag. 50. Andreas Rivetus Critici Sacri lib. 1. cap. 9. 10. 11. p. 150. Chamierus de Canone lib. 9. c. 3. n. 28. & aliquot sequentibus. Et de autore hujus operis non dubitant, ut audacter affirmat Bellarminus de Scriptor. ecclesiasticis, *soli haeretici lutherani, & quidam scioli*, (ut viros doctos, Vallam, Erasmus, & alios appellat ille) sed alii etiam viri graves, ut Theodorus Gaza in praefat. ad Problemata aphrodisaei, (pag. 241.) Cajetanus in Act. 17. Guilielmus Grocius, anglus, theologus summus, & romanensis, teste Erasmo. Vide Erasm. non tantum loco citato, sed & epistola praefixa Paraphrasi in 1. Cor. tom. 7. operum, & in schol. in Hieronym. de Scriptoribus ecclesiasticis, & contra Censuras theologorum parisi. titulo 31. Bellarminus etiam ipse non nisi timide lib. 2. de Sacramento confirmationis cap. 7. sect. *Jam vero Chemnitius* : ait, *opus hoc esse auctoris antiquissimi & optimi, licet non sit certum, an sit illius, cujus nomen praefert.* P. Faber, vir doctissimus, & in tolosano senatu praeses, in Dodecameno sive de Dei nomine, &c. cap. 4. pag. 55. *Adde, inquit, alterum Dionysii, sive arcopagitae, seu vetustissimi alterius auctoris testimonium.* Et rursum, pag. 220. *Magnus ille (sive arcopagita, sive alius quispiam) Dionysius, auctor sane vetustus ac locuples.* Cassander de Baptismo parvul. pag. 683. ad marginem haec habet : *Si Dionysius arcopagita ille sit, vixit aetate Pauli apostoli: sin post*

A a

Clemen-

* Cocus in Cens. p. 50.] pag. 92. edit. helmstad.

Clementem alexandrinum, ut minimum centesimo ab excessu Johannis anno. Et rursus in Epistolis, epist. 47. pag. 1142. De Dionysii, inquit, aetate non satis convenit. Videatur etiam Cœlius Rhodigin, Antiq. lect. lib. 2. c. 3. Addi possent ex aliis plura; sed, quia res non tanti momenti est, ea missa facimus.

Justinus martyr, sive potius (1) recentior aliquis, lib. Quæst. & respons. ad orthod. q. 75. a Bellarmino etiam productus, contra Graecos: *Post exitum animarum e corpore, eujus illico justis ab injustis segregantur: abducuntur enim ab angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum quidem animae in paradisum, ubi consuetudine & aspectu fruuntur angelorum & archangelorum, per visionem (2) Dei & ipsius servatoris Christi, pro eo, atque dictum est: Peregre absumus a corpore, & praesentes adsumus apud Dominum.*

In aureis libellis Cypriani de Mortalitate, & Ambrosii de Bono mortis, tot extant clarissima & praeclarissima in hanc sententiam dicta, ut pauca quaedam, aliorum more, inde huc adscribere neutriquam placeat. Legantur potius, atque etiam saepius relegantur libelli ipsi toti, dulcissima consolatione contra acerbissimas, quae in purgatorio post mortem finguntur, poenas plenissimi.

(Pag. 242.) Locus extat illustris apud Cyrillum
l. 12.

(1) Recentior aliquis] Vide Cocum p. 118, Riveti Crit. S, 197. Cave 28. Du Pin tom. 1. p. 58,

(2) Dei] Alii legunt de, autem.

l. 12. in Johannem cap. 36. quem etiam citat Bellarm. contra Graecos: *Credere debemus, cum a corporibus sanctorum animae abierint, tanquam in manus charissimi Patris, bonitati divinae commendari.* Et paulo post: *Firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros, vitamq. multo meliorem ac perpetuo cum Christo victuros. Ideo enim Paulus desideravit resolvi, & esse cum Christo,*

Gregor. nazianz. in oratione funebri in laudem Caesarii fratris: *Sapientum verbis adducor, ut credam, pulchram omnem animam & Deo charam, posteaquam hinc excesserit, eujus protinus bonum, quod eam manet, persentientem, & contemplantem, mirabili quadam voluptate affici, & summa cum hilaritate ad Dominum suum tendere.*

Macarius, eremita aegyptius, homil. 22. de Duplici statu eorum, qui ex hac vita decedunt, ubi evolaverit e corpore anima homini: *Sanctis, ait, servis Dei* ὑπὸ τῶ ὄν, *ab hoc tempore astant angeli, ac spiritus illi sancti circumdant & custodiunt eos:* ὅταν ἐξέλθωσιν ὑπὸ τῶ σώματος, *cumque exierint e corpore, chori angelorum assumptas eorum animas in suam partem pertrahunt in seculum perpetuum, & sic adducunt eos ad Dominum.* Videatur autor ipse. Pro, in seculum perpetuum, graece, legitur, εἰς τὸν κατὰ πρόν αἰῶνα seculum purum.

Insignis habetur locus apud Chrysostom. homil. 3. in epist. ad Philip. quem & allegat Bellarm.

larm. contra Graecos: *Peccatores, inquit, ubi fuerint, procul a rege sunt, atque ideo digni, qui flentur.* Iussi vero, siue hic siue in futuro seculo fuerint, cum rege sunt; *illic tamen magis & propius & διὰ εὐδοχίας, non per ingressum.* Mendose sic legit Bellarminus cum aliis: legendum cum sit, & δι' εὐδοκίας, *non per speculum.* Vide editionem savilianam in margine. Alludit enim Chrysostomus ad verba 1. Cor. 13. 12. Eadem legere est homil. 69. ad popul. antioch. & homil. in illud Sap. 3. 1. *Iustorum animae in manu Dei sunt.*

(Pag. 243.) Augustinus, qvde purgatorio qvdam punitivo post mortem dubitasse videtur, ut diximus, lib. 13. de Civit. Dei p. 232. in fine capitis 8. haec habet. In requie sunt animae piorum a corpore separatae; *impiorum autem, penas luunt, donec istarum ad aeternam vitam, illarum vero ad aeternam mortem, quae secunda dicitur, corpora reviviscant.* Et tractatu 49. in Jo. hannem: *Habent omnes animae, cum de seculo exierunt, diversas receptiones suas; habent (*) gaudium bonae, & malae tormenta: sed cum facta fuerit resurrectio, & bonarum gaudium amplius erit, (quando scilicet cum corpore gaudebunt) & malarum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur.* Et paulo post: *Requiem, quae continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, cum moritur.* Inapte respondet Bellarminus ad hunc locum, lib. 1. cap. 13. *ingens gaudium & re-*

qui-
* Gaudium bonae] Alii legunt: Habent gaudium boni & mali tormenta, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora,

quiem habere etiam animas, quae in purgatorio torquentur; quia scilicet certae sint aeternae suae salutis. Atqui haec ex diametro inter se pugnant, torqueri animas poenis etiam gravissimis, & simul etiam gaudere & requiescere, & nulla pati tormenta.

Locus, qui non ex Augustino, sed ex Gennadio, massiliensi presbytero, apud Augustinum tom. 3 ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 79, citatur: *Post ascensionem Domini ad caelos, omnium sanctorum animae cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur*, notatu dignus est; ut & ille, qui licet Augustini non sit, extat apud Augustin. tom. 9. de Vanitate seculi cap. 1. *Scitote, quod cum anima a corpore evellitur, statim aut in paradiso pro meritis bonis collocatur, aut certe pro peccatis in inferni tartara praecipitatur*. Et ibidem de Consolatione mortuorum sermone 2. cap. 1. *Recedens anima ab angelis suscipitur, & collocatur aut in sinu Abrahae, si fidelis est, aut in carceris inferni custodia, si peccatrix est, donec veniat statutus dies, quo suum recipiat corpus*.

Citant contra purgatorium plerique omnes Protestantes, atque etiam nonnulli moderatiore Romanenses, Erasmus in margine ad illa verba, mox citanda, *tertium penitus ignoramus*, P. Picherellus de Missa p. 152. J. Barnesius in Catholico rom. pacif. locum ex auctoris Hypognost. (apud August. tom. 7.) lib. 5. cap. 5. *Primum locum*

Pag. 244) *fides Catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse coelorum, secundum gehennam; tertium penitus ignoramus, immo nec esse, in script. S. invenimus.* Sed locus iste ad rem parum videtur facere; loquitur enim auctor ille de locis aeternis, (quemadmodum vere respondent Romanenses) quae, omnibus vere catholicis consentientibus, duo tantum sunt, coelum, scilicet & gehenna. Fingebant autem Pelagiani, contra quos hic disputatur, parvulos non baptizatos aeternum beatos fore loco aliquo tertio extra coelos & gehennam, ubi nec visione Dei gaudent, nec dolore aut molestia ulla afficiantur. Unde verbis hunc locum immediate praecedentibus dicitur: *Da mihi (Pelagiane) praeter hunc (de regno scilicet coelorum) alterum locum, ubi vitae possit requies esset perennis.* Et verbis proxime sequentibus: *Finge, (Pelagiane,) locum ex officina perversa dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia, requiem etiam gloriae possidere parvuli possint.*

Nec aliter intelligendus est locus ille lib. 1 de Peccat. mer. & remiss. cap. 28. *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo; ut patet ex verbis; quae continenter subdit Augustinus: Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam, nescio quam, medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiae sint in vita aeterna; sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus.* Similiter intelligendus est locus ille Augustini tom. 10. ferm.

serm. 14. de Verbis apost. c. 3. *Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes.* Et rursus: *Nullum medium locum in evangelio novimus.* Non negasse enim simpliciter Augustinum, vel auctorem Hypognost. quisquis fuit, Augustini sequacissimum, * *tertium locum temporarium post hanc vitam*, non tantum ex eo constare potest, quod ante Christi passionem animas fidelium ver. test. *in sinu Abrahae*, id est, loco a gehenna distinctissimo & remotissimo, atque etiam extra sanctuarium coeli fuisse existimaverit; sed etiam, quod nonnunquam cum aliis plurimis Patrum, in secretis receptaculis quietem animarum justorum post excessum suum collocaverit, ut jam dicemus. *Limbus commentitium infantum non baptizatorum*, haec Augustini dicta manifeste refellunt; sed contra purgatorium non aeqve directe militant. Loca etiam alia nonnulla Augustini, ad rem minus facientia, consulto mittimus.

Page 245.)

Nempe Augustinus, plurimorum aliorum, Patrum sententiam secutus, animas justorum, usque ad diem resurrectionis corporum, *in sinu Abrahae*, vel in quibusdam abditis & secretis receptaculis extra coelum beatorum requiescere, affirmat; aut saltem de loco ambigit, in plal. 36. lib. 9. Confess. cap. 3. in Enchirid. cap. 108. lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. Sed quicquid de loco, in quo sanctorum animae usque ad diem ultimum requiescunt, asserat, vel dubi-

Aa 4.

tet;

Tertium locum temporarium.] Vide hic p. 245. 249.

ret, affirmat tamen, *eandem quiescere, sine fine felices esse, & gaudere*; quae nulla ratione cum gravissimarum purgatorii poenarum expressione conciliari possunt. *Non dubitat* (inquit Ludovicus Vives in locum illum modo citatum), ad verba, *Secretis animarum receptaculis*) *de animarum gloria etiam ante iudicium, sed de loco gloriae. Nam ubique possunt beatae esse, cum ubique sit Deus, cujus fruitione sunt beatae.*

Gregorius I. papa, cui tamen plus, quam ulli alii Patrum, purgatorium Romanensium debet, * ut diximus, lib. 13. in Jobum cap. 20. haec habet: *Quia auctoris nostri gratia redempti sumus, hoc jam caelestis muneris habemus, ut, cum a carnis nostrae inhabitatione subtrahimur, mox ad caelestia praemia ducamur.* Multa alia testimonia Patrum, quibus clarissime purgatorium Romanens. refellitur, citari possent; sed brevitati studemus. Audiatur post alios Olympiodorus in Ecclesiast. 11. 3. Vide Bibliothec. Patrum edit. 4. tom. 2. graeco-latin. *In quocunque loco, seu illustri, seu tenebroso, hoc est, sive in turpi scelerum statione, sive in honesta virtutum deprehendatur homo, cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet in aeternum.* *Nam vel requiescet & φωτι μετὰ τῆ δόξης, in lumine felicitatis aeternae, (ut interpret reddit) cum justis & Christo, rege universorum, vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & principe hujus mundi diabolo.*

Dicamus nunc de orationibus & oblationibus

* Ut diximus] Pag. 222. 237.

bus pro mortuis, unde Romanenses purgatorium suum validissime probari existimant. pag. 246) Sed hic primum improbanda est quorundam rigidiorum Protestantium sententia, qui *preces pro mortuis omnino improbant, & damnant*: quia scilicet nec in V. neque etiam in N. test. libris canonicis ullum talium orationum praeceptum vel exemplum legere sit. Certe consuetudine hanc esse vetustissimam, & in universa Christi ecclesia receptissimam, ut in publicis etiam ecclesiae precibus commemoratio fiat defunctorum, & quies illis petatur a Deo, qui pie & in pace ecclesiae mortui sunt, inficiari non audent, etiam quibus mos hic maxime improbatur. Ut Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Dionysium areopagit. sive quicumque ille fuit, brevitatis causa omittamus; audiatur Augustinus, testis fide dignissimus, tom. 4. lib. de Cura pro mortuis cap. I. *Adjungis, inquit, vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consueverit.* Et infra, confirmans hanc sententiam Paulini, ad quem scribit Augustinus: *In Machabaeorum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas; ubi in precibus sacerdotis, quae Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio defunctorum.* Et tom. 10. de Verbis apost. serm. 32. *Hoc a Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis & sanguinis*

Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemorantur. Esse etiam apostolicam traditionem, affirmat Chrysostomus homil. 3. ad Philip. ut alios mittam, quod tamen vix pro certo affirmare aulim. Dogma adversarium Aërii, orationes & oblationes pro mortuis damnantis, damnatum fuisse, ex Epiphanio & Augustino cui non constat? Fuit etiam mos ille antiquissimus pieratis plenus; & verissime, Cassand. in Consult. art. 24. Omnibus, inquit, christianis animis hoc perpetuo insitum fuit, ut spiritus eorum, qui Christi sacramento initiati, in confessione nominis ejus cum aliqua poenitenti significatione ex hac vita excesserunt, Dei clementiae commendarent, & eis remissionem peccati, quietem aeternam, & consortium electorum precarentur. Et quamvis de statu illo animarum, quibus haec prodesse, non satis constaret, nec inter omnes conveniret; omnium tamen hoc officium, ut testimonium charitatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum, & futura resurrectione, Deo gratum & Ecclesiae utile esse judicarunt. (Pag. 247.)

Hanc antiquissimam, & universalem ecclesiae consuetudinem permulti etiam doctissimi Protestantes haud improbant. Apol. confess. augustanae: Scimus, veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus. Videantur Chemnitius in Exam. concil. trid. de Purgator. Mentzerus contra Pistorium disp. 12. thes. 26. & 39, Lutherus, teste Chemnitio, in Confessio-

ne

ne
m
ne,
stat
bis
Mo
rat
em
eox
& l
nus
illu
te l
12.
men
cha
cun
mo
just
cles
ced
itu
um
ipso
rit.
tro
26
Vo
gu
ad
ce,

ne sua dicit: *Pro mortuis, quia scriptura nihil me-*
minit, existimo non esse peccatum, ex libera devotio-
ne, ita vel similiter orare, ut Deus animae, si in tali
statu sit, misereatur, utque satis sit, quando semel vel
bis id factum fuerit. I. Gerard. Loc. theol. de
 Morte n. 87. *Quaeritur, inquit, an, quando in o-*
ratione funebri pro beata defunctorum ad dominum
emigratione gratiae aguntur, liceat clausulam illam
εὐχαιῶν subjungere? Deus det ei pacatam quietem,
& beatam ad vitam resurrectionem. Negat Calvi-
 nus epist. 366. Sed August. Confessionis Apologia
 illud concedit. Urbanus Regius in Formul cau-
 te loquendi, cap. 16. de Sanctorum cultu §. 11. &
 12. Haec, inquit, erat olim & nunc est in Ecclesia
 memoria defunctorum, quae evidens testimonium est
 charitatis & fidei de gloriosa carnis resurrectione; &
 cum sit fidei fructus, quae per charitatem operatur, ne-
 mo eam rejiciat, nisi epicureus & sadduceus. Hu-
 jusmodi defunctorum memoriam celebravit vetus Ec-
 clesia, ut est apud orthodoxos, a quorum sententia re-
 cedere non est tutum, nisi repugnet verbo Dei. Vor-
 stius in Antipist. parte 2. *Vota & preces ad De-*
um pro beata ipsorum resurrectione, seu consummata
ipsorum gloria, neminem bonum improbare posse, asse-
rit. p. 435. Videatur ejusdem Enchiridion con-
 troverharum, de Purgatorio, & Antibellarm. p.
 260. circa finem. Pag. 248.) item Gerh. Joh.
 Vossius in Disput. theol. super hoc eodem ar-
 gum. R. Fieldus de Ecclesia l. 3. c. 29. in append.
 ad hunc librum p. 21. atque in altera appendi-
 ce, parte 1. sect. 5. Episcopus winton, in Re-
 spons,

spons. ad cap. 18. libri Replicationis card. Perro-
 nii ait : *Quod ad orationes & oblationes pro defun-*
ctis attinet, parum est, quod eis contradici queat,
Negari non potest, consuetudinem eam esse vetustam.
 Sed, ut innumeros alios in re tam perspicua si-
 lentio transmittamus, audiat Ecclesia anglica-
 na in Rituali, sive libro communium precum,
 tempore Edovardi impresso A. 1549. & latine ver-
 so ab Alexandro alesio, scoto, S. theol. docto-
 re. Verba reperiuntur in administratione coe-
 nae Dom. sic concepta : *Commendamus etiam*
tibi, o Domine, reliquos omnes servos tuos, qui ex vi-
ta hac decesserint cum signo fidei, & nunc requi-
escunt in somno pacis. Concede illis, quaesumus, mi-
sericordiam tuam, & aeternam pacem, & ut in die
universalis resurrectionis, nos, & omnes, qui sunt
membra mystici corporis filii tui, sistamur a dextra
ipsius, ut audiamus illum suavissimam vocem, Ve-
nite ad me benedicti, &c. Et de sepultura mor-
 tuorum, *Deus, cui omnes spiritus mortuorum, &*
cum quo omnium electorum animae, post liberationem
oneris carnis, feliciter & in gaudio vivunt, praesta
huic famulo tuo, ut peccata, quae in hoc mundo
commisit, non imputentur ei; sed ut superatis portis
mortis, & aeternae caliginis, semper in regione lu-
cis habitet cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo, ubi
nullus luctus, dolor aut moeror; & cum tremenda
dies iudicii advenierit, fac eum resurgere cum omni-
bus iustis & electis. Hasce preces antiquissimas &
 piissimas, Bucerii aliorumque monitu & consilio,
 postea praesules ecclesiae anglicanae expunxere;
 aut

aut in aliam nescio quam formam, hodiernam novitatem redolentem, *convertere*. Isaacus Casaubonus in Responsi. ad epist. card. Perronii, nomine serenissimi sui Britanniae Regis scripta, affirmat, *hunc ritum orandi pro mortuis Ecclesiam anglicanam, etsi non damnet in primis seculis, hodie tamen sibi non putare retinendum, p. 54.* Sed utinam (ut nihil detraham laudibus serenissimi, & nunquam satis laudati principis, Jacobi sexti, qui cum nihil haberet prius & antiquius pacis & concordiae piae inter christianas ecclesias procurandae studio, nunquam tamen per morosa & rixosa multorum theologastrorum ingenia, id consequi aut effectum dare potuit, quod maxime voluit) *Pag. 249.* Ecclesia anglicana, quae singularem certe alioqui meretur laudem, ob magnam multis aliis in rebus, etsi forte non paris momenti, moderationem adhibitam, universalis Ecclesiae antiquissimae consuetudini, hoc in negotio, ut & in aliis nonnullis, sese potius conformasset, quam ob errores & abusus, qui paulatim irreperant, postea, ingenti cum aliorum fere omnium Christianorum scandalo, simpliciter rejecisset, & penitus sustulisset.

Ex orationibus autem & oblationibus pro mortuis apud Patres purgatorium Romanorum minime probari posse, luculentissime demonstrarunt infiniti viri doctissimi, Graeci, Romanenses, Protestantes. Censuerunt enim primo complures ex veteribus, cum graecis tum latinis, iustorum animas ante diem iudicii Dei visione

one

one non frui, sed * in abditis quibusdam receptaculis, vel cœlestibus, vel extra cœlos, detineri, ubi quiescant, beatam corporum resurrectionem, & gloriæ promissæ consummationem, cum gaudio in visione humanitatis Christi, & frequenti angelorum visitatione expectantes. Prolixum Patrum, quibus istud persuasum fuit, catalogum vide apud Staplet. in Defensione ecclesiast. autorit. cap. 2. Sixt. senens. Bibl. l. 6. annotat. 345. & Bellarm. de Sanctorum beatitudine l. 1. c. 1. qui cum aliis quibusdam Romanensibus pleraque illorum dicta ad alium quidem sensum, sed frustra, trahere conatur. Videatur etiam Maldonatus in Luc. 23. 34. ad verba, *Hodie mecum eris in paradiso*: Sanderus de Visibili ecclesiæ monarchia l. 7. aliique plurimi. Et ante Synodum florentinam circa annum christi 1450. ita sentire licuisse sine periculo hæresis, fatentur etiam ipsi Romanenses citati. Adde Pamelium in Tertulliani paradoxo IX. & Bellarmin. l. 4. de Pontif. cap. 14. ubi differit de Johanne 22. papa, qui eandem etiam sententiam defendit. Vide & Bellarm. de Sanctorum beatitudine l. 1. c. 2. Eadem quoque fuit, atque etiamnum manet sententia Graecorum, aliorumque plurimorum christianorum orientalium, ab externa romana Ecclesiæ communione disjunctorum, ut satis omnibus constat.

De Joh. Calvini inter Protestantes sententia multum inter partes contenditur: an scilicet existima-

* In abditis quibusdam receptaculis,] Vide pag. 244.

sim
judi
pag.
de S
tori
tes
mar
tria
eccl
plur
Bell
tudi
rect
sim
nem
dien
ria,
clar
locis
de r
men
Quoniam
zitione
differ
prae
etas
laeti
ita o
rede
rat,
para

stimaverit etiam ille, iustorum animas ante diem
 iudici, visione Dei frui, & in coelos recipi, nec ne?
 Pag. 250.) Inter Romanenses videantur Bellarm.
 de Sanctorum beatitudine, Becanus de Purga-
 torio Calvinistarum, aliiqve; inter Protestan-
 tes Chamierus tom. 3. lib. 25. de Beatitudine ani-
 marum, I. Rainoldus de Rom. ecclesiae idolola-
 tria lib. 1. item archiepiscopus spalat. de Rep.
 eccles. lib. 5. cap. 8. n. 110. & aliquot seq. ubi ex
 plurimis operum Calvini locis ostendit contra
 Bellarminum, Calvinum omnem animae beati-
 tudinem & gloriam, nisi in sola spe, anteresur-
 rectionem non negare, & agnoscere eum pas-
 sim quandam inchoatam gloriam & beatitudi-
 nem, negare tantum animas ante extremum
 diem frui tota & completa illa summa Dei glo-
 ria, in scripturis promissa, & quae *visio Dei*, scil.
 clara & cominus, nuncupatur. Hisce autem in
 locis jam citandis quam parce & sobrie hac tota
 de re multis verba facere videatur, audi & aequa-
 mente expende, lector. Institut. l. 3. cap. 25. §. 6.
*Quum scriptura ubique jubeat pendere ab expecta-
 tione adventus Christi, & gloriae coronam eo usque
 differat, contenti sumus his finibus, divinitus nobis
 praescriptis: animas piorum militiae labore perfun-
 ctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici
 laetitia fruitionem promissae gloriae expectant, atque
 ita omnia teneri suspensa, donec Christus appareat
 redemptor. Ibidem tamen paulo antea affirma-
 rat, Christum illis praesentem esse, & eas recipere in
 paradysum, ut consolationem percipiant, Et lib. 4.*
 cap.

cap.

cap. 5. §. 12. *Quae ob hoc unum Ecclesiae dissideant, si altera citra contentionis libidinem, citra perviciam asserendi, animas a corporibus demigrantes in caelum convolare putet; altera nihil ausit definire de loco, caeterum vivere tamen Domino certo statuat, &c.* Et in libro, quem inscripsit Psychopanych. p. 78. & seq. *Sunt sanctorum animae post mortem in pace, quae extra manum hostis evolarunt. Sunt in opulentia, de quibus dictum est: Ibunt de abundantia in abundantiam. Vbi vero surrexerit in gloriam suam caelestis Jerusalem, & verus Solomon Christus, rex pacis, sublimis sederit in tribunali, regnabunt cum suo rege veri Israëlitae, Pag. 251.)* Haec ex scripturis facile discere possunt, quicumque Deo auscultare didicerunt. Haec etiam nobis per manus tradiderunt, qui parce & reverenter tractarunt Dei mysteria. Plurima deinde subjicit Patrum testimonia, quae legere ne graveris. Alia ejusdem dicta omitto.

Nicolaus Gallafius, theologus genevensis, in fine notarum suarum in Irenaeum, dicit, *non esse nostrum inquirere, ubinam interea, videlicet post mortem, futurae sint justorum animae, cum, qui in caelo esse dicunt, nihil aliud intelligant, quam caelesti immortalis vita potiri.* Vide & Balthas. Lydii notas in Disputationes taborit. ad cap. 19. Tho. Bilsonus, episcopus nuper winton. in Recognitione passionum Christi, parte 2. p. 540. & seq. pluribus contendit ex scripturis, Patribus, & Calvini locis nunc citatis, *justorum animas ante diem judicii in supremum caelum, ubi Christus*
ad

ad dextram Patris sedet, non admitti, neque plena gloria & beatitudine, non solum extensive, ut volunt Romanenses, sed neque & intensive frui. Atque hic ille est, de quo loquitur R. Fieldus honorifice, suppresso tamen illius nomine, append. ad lib. 3. de Ecclesia p. 223. Gerardus Joh. Vossius in disputatione de Statu animae separatae p. 106. hanc eandem sententiam non improbat; affirmat enim cum caeteris supra citatis, justorum animas Domino vivere, gaudioque eas frui, sed imperfecto, & post resurrectionem complendo, & de loco non esse pertinaciter contendendum. Immo Bellarm. ipse de Sanctorum beatitudine lib. 1. c. 6. sect. *Ad tertium dico*, haec habet: *Dico, Christi animam ante resurrectionem corporis sui non ascendisse quidem ad caelum corporeum, tamen fuisse in paradiso caelesti formaliter; nempe fuisse beatam & gloriosam. Quod si hoc tribuere vellent adversarii (Graeci scilicet cum aliis) animabus sanctorum, non essemus multum solliciti de caelo isto corporeo.*

Hanc ob rem quid miri est, si veteres defunctis optarunt refrigerium, pacem, lucem? Quis etiam dubitet, hac mente primitus pag. 252.) in canone missae precationem fieri solere, ut Deus meminerit eorum, qui nos praecesserunt cum signis fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsisque & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis indulgeat? nempe respicientes (ut inquit Vossius in cit. disput.) statum animae separatae, refrigerium iis optabant, propter aestum desiderii, quo resurrectionem,

Bb

&

& gloriae plenitudinem animae anhelarent: *lumen*, hoc est, lumen beatae visionis: & *pacem*, h. e. ab omni, etiam damni, malo immunitatem. Hanc orationem apud veteres usurpatis-
simam, corporum resurrectionem & iudicium, extremum tantum spectasse, quemadmodum, affirmat P. Picherellus de Missa p. 149. 150. cum multis Protestantibus, quorum sententiae Vossius etiam loco citato se multum adversari nolle dicit, probabile non est. Certe oratio haec nulla ratione de animabus in poenis purgatorii constitutis, quemadmodum hodie communiter Romanenses sentiunt, intelligi potest; cum ipsa orationis verba glossam istam clarissime refellant. Vnde etiam, qui Johannis 22. papae sententiam, de qua ante dictum, tutati sunt, eidem firmandae hanc orationem Ecclesiae allegare solebant, teste Occamo Dial. parte 2. to. 2. cap. 3. *Rursus*, inquit ille, *ad hoc, quod animae sanctae in caelo Deum*, ante diem iudicii scilicet, *minime sunt visurae*, allegatur oratio Ecclesiae, quae dicitur *pro defunctis*: Qui nos praecesserunt, & dormiunt in somno pacis, &c. pro quibus orat Ecclesia, ut lucem videndi Deus eis concedat in futurum, scilicet post diem iudicii. *Et si dicatur eis, quod haec oratio est pro defunctis, quorum animae sunt in purgatorio, hoc improbare conantur, dicentes: Quod hoc non est verum, quia in oratione Ecclesiae praemittitur, quod dormiunt in somno pacis, & non poenae & afflictionis. Ex quibus clare patet, quod oratio illa non sit pro animabus in pur-*
gatq.

gatorio existentibus, sed pro illis animabus, quæ sunt in pace & quiete, & expectant post ultimum iudicium, & non ante, Dei visionem. Haec Occamus, Joannitarum, ut appellat, argumentum proponens; ad quod ille communi Romanensium more respondet, i. e. omnino praeter & contra veterum mentem. Subjungit deinde responsionem multo meliorem, scilicet, quod Ecclesia in oratione praedicta oret etiam pro animabus sanctis in cœlo, (Pag. 253.) ut animæ sanctæ, quæ dormiunt in somno pacis, resumptis corporibus, ad locum refrigerii, lucis & pacis, quæ ultimum gradum essentialem & accidentalem pacis æternæ, quam quandoque habituræ sunt, includit, perveniant; quam pacem animæ in cœlo ante diem iudicii non habebant. Quamvis enim nunc videant Deum, & sint beatae, beatitudo tamen earum, & per consequens pax earum æterna, erit post iudicium augmentata, quia tunc clarius videbunt Deum, & de resurrectione corporum, & completionem civitatis æternæ, & aliis pluribus tunc post gaudebunt.

(*) Alias quoque veteribus fuisse causas, citra purgatorium, propter quas preces oblationesque pro mortuis facerent; & quod etiam orarint & obtulerint veteres pro universis in fide defunctis, etiam pro patriarchis, prophetis, apostolis, evangelistis, martyribus, confessoribus, quos in cœlis esse non dubitabant, ipsis ex patrum scriptis, & antiquis liturgiis, quarum ple-

Bb 2

rae.

* Alias veteribus fuisse causas] Vide p. 256.

raeqve quidem supposititiae, quaedam tamen genuinae eorum, quorum nomina prae se ferunt, sed diversimode a posteris interpolatae, fuisse demonstrarunt multi doctissimi Protestantes, aliiqve, quos adi.

Peccata etiam quaedam leviora, in hac vita quoad culpam & poenam forte non remissa, post mortem remitti, per intercessionem Ecclesiae in precibus publicis, ac praesertim illis, quae fiebant in tremendorum mysteriorum celebratione, & per orationes, atqve oblationes seu elemosynas a privatis pro illis factas seu datas, censuerunt plurimi Patrum, nixi loco 2. Machab. 12. 46. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur: & illo Matth. 12. 32. ubi dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ex prior loco, non negant Protestantes, hoc probari: Sed quia liber ille a multis (*) *extra canonem* positus est, probationem eam tanti non faciunt. Ex altero loco concedunt ipsi etiam Romanenses, secundum regulas dialecticorum non sequi id, quod inferitur ex verbis Domini, sed tantum *secundum regulas prudentiae*; complures tamen ex Patribus, hisce non obstantibus, sic censuerunt. Quibus suffragantur etiam multa concilia, & vetustissima Ecclesiae consuetudo, nemini temere spernenda aut rejicienda, nisi scripturis aperte adversetur; quod hac in re difficillimum certe est demonstrare.

* Extra canonem] Vide Walenburch, tom. 2, p. 305.

monstratu. Loca multa ex veteribus huc congerere, cum res tam clara sit, plane superracaneum est.

Pag. 254.)

Respondere quidem solent Protestantes ad loca, quae ex Patribus objiciuntur: Ecclesiam Deum rogasse, ut pie defunctis, extremi judicii die, juxta promissionem in Christo factam, peccata sua non imputaret, non quasi peccata aliqua, quae hic remissa non sunt, istic sint remittenda, sed *quia, quod semel remittit, remittat semper, completamque extremo judicio habiturum sit remissionem*: quae verba sunt Voslii, l. c. Attamen communis haec Protestantium responsio, minime satis facit plerisque Patrum locis, ut cuius ea vel leviter inspicienti perspicuum est.

Multo magis ingenue Graeci, quibus tamen purgatorium nunquam creditum, in sua Apologia: *De testimonio a vobis* (alloquuntur Latinos) *ex Machabaeis & divino Matthaeo allato non multa faciemus verba. Manifestum enim cuius est, remissionem peccatorum nonnullis vitae functis concedi. Quoniam vero modo, & ante punitionem, & quidem illam per ignem, ne meminerunt quidem in universum. Porro quod haec purgatorium ignem non inferunt, sole clarius est. Quid enim commune est remissioni cum purgatione per ignem & punitione? Aut enim punitione, aut remissione, sive condonatione est opus, & non simul utroque. Ei enim, qui blasphemaverit in Spiritum S., non remittetur, neque in praesenti seculo, ne-*

Bb 3

que

que in futuro: nihil amplius addit. Praeterea nihil etiam illud ex *Machabaeis* (dicens, Bonum esse ac salutare, pro mortuis orare, ut a peccatis suis absolvantur) nihil, inquam, de poena, atque hac quidem nominata agit, sed tantum hortatur, ut Deum pro mortuis oremus: spem fore, ut ipsi peccata remittat. Et paulo ante, dum statum quaestionis controversae formant: Quod Deus post migrationem e corpore, peccata remittat iis, qui venialia commiserunt: quod & primum erat eorum, quae in quaestionem venerunt. Hoc etiam a doctoribus dicentibus audivimus ita, ut illa docent. Haec illi,

Archiepisc. spalat. de Rep. ecclesiast. lib. 5. cap. 8. n. 132. Deinde etiam stantibus iis, quae de statu animarum supra consideravi, non esset absurdum fateri, peccata leviora, si quae in hac vita quoad culpam remissa non sunt, post mortem remitti, idque paulo post obitum, dum piae & religiosae exequiae ecclesiasticae peraguntur, virtute ecclesiasticae intercessionis in precibus publicis, (pag. 255.) ac praesertim illis, quae fiebant in sacra liturgiae celebratione; ut supra Chrysostomus (homil. 3. in epist. ad Phil.) observabat, & Concil. carthaginense 3. & 4. satis clare commemorat. Et numero 133. Cum vetera concilia, quae pro purgatorio profert Bellarminus, nihil aliud contineant, nisi hanc, peccatorum scilicet leviorum, post mortem, etiam quoad culpam, a nobis haecenus explicatam remissionem, & ecclesiae pro illis intercessionem, ad confirmandum purgatorium nihil valent. Et n. 134. Haec,

Haec, quae dixi de remissione alicujus culpae venialis post mortem, per ecclesiae intercessionem, licet utcumque modo explicato admitti possint, & sua, meo judicio, non careant probabilitate, ut sic ecclesiae preces pro defunctis utiles esse, & non ociosas asseramus, quatenus ex apostolica institutione mos ille ecclesiae orandi pro defunctis putatur, ut fatetur Chrysostomus, & videtur valde probabile, promanasse: ponere tamen remissionem venialium per ecclesiae preces, etiam diu post mortem hominis, pro quo oratur, seu pro omnibus defunctis in genere, etiam pro illis, qui jam diu e vivis excesserunt, non videtur esse adeo constans, adeo tutum, adeo probatum, ut ad apostolicam traditionem id quoque duci trahive debeat. Vide & n. 150. Si, inquit, ut admodum probabile concederem, aliquem posse & solere ex hac vita decedere cum aliquo ex his peccatis venialibus, quod in hac vita remissum non fuerit, idque in alia vita paulo post mortem remitti, hinc tamen purgatorium nostrum non necessario colligeretur; remitterentur enim talia peccata intercessione ecclesiae. Vide & n. 162. 163. Quod autem toties dicit auctor hic, paulo post mortem, de hoc nonnihil cap. seq. dicetur.

Ut hoc caput tandem concludamus: Quidam nonnulli, etiam Catholici, & non ii tantum, qui pro haereticis habiti sunt, aliquando dubitaverint, utrum orationes & oblationes, quae fiunt pro defunctis, aliquid eorum conferant animabus, ut studiose collegit Jac. Vsserius, archi-

episcopus nunc armachanus, in sua Responsione ad jesuitam hibernum, loco de oratione pro mortuis p. 251. 252. ex Augustino ad Dulcit. q. 2. Cyrillo Catech. mystagog. 5. ex Anastasio sinaita p. 540. edit. graeco-latin. ex Perri, abbatis cluniacensis, epistola contra Petrobrusianos, Maximi schol. * in Hierarch. eccles. cap. 7. immo an etiam preces & oblationes pro mortuis licitae sint, ut idem ibidem probare nritur ex Gregorii 2. vel 3. epist. ad Bonifac. in tomis conciliorum, & ex Hug. Etheriano de Animar. regress. ab inferis cap. 13 Ecclesia tamen universalis (Pag. 256.) hunc ritum non solum *licitum*, sed etiam defunctis aliqua ratione *utilem* esse existimavit, & religiosissime, ut, si non ab ipsis Apostolis, saltem a Patribus antiquissimis traditum, semper observavit; quod ex innumeris Patrum locis, praesertim ex Augustino de Cura pro mortuis c. 2. & 4. atque aliis permultis decantatissimis, ipso solo clarius patet. Vnde Isaac. Casaubonus in Resp. ad epist. card. Perronii de precibus pro mortuis inquit: *Quicquid est, quod in hac parte veteres fideles fecerunt, id omne Rex ad illud caput utilem vel licitorum refert, de quo supra dictum.* Quod autem subjungit, *hunc ritum non esse absolute necessarium*, exigui est momenti; concedatur enim, licitum, atque utilem piaevetustati semper visum, & universalissime in ecclesia receptum fuisse, atque etiam ut jam hodieque usurpetur; de absoluta illius usurpandi neces-

* In Hierarch. eccles. Dionysii, ut creditur, arcopagitae.